



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 8. Lotharingii Cardinalis indoles.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

## §. VIII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.*Lotharingii Cardinalis indoles.*

Ceterum Lotharingins Cardinalis Vir erat magna auctoritate præstans, necnon tam proprio merito, quam generis sui nobilitate conspicuus, atque ad præclara obsequia feliciter Ecclesiæ præstanda idoneus: mira insuper ingenii acie, parique eruditione præditus, suaque dignitate, genere, ac animi generositate insignis. Verum hæc dotes longe superabat ejus ambitio: præterea summa imperitandi cupiditate deformis, atque ad quævis audenda projectus erat, ac improbo regebatur affectu, quo omnibus ac ubique dominari, omnesque ad suæ voluntatis obsequium pro summo imperio flectere attentabat.

Interea Franciæ Episcopi justo numero Tridentum venerant, partim ut Regis sui mandatis obtemperarent, partim ut Lotharingium Cardinalem, cui omnes addicti erant, atque a suis consiliis recedere non audebant, comitarentur: inde vero oriebatur, quod Italiæ Præsules haud adeo piam de Lotharingio opinionem conciperent, & si quid prohi de eo intelligerent, id non nisi tanquam obsequii, ac urbanitatis studium interpretarentur, sat persuasi, quod præcipue omnibus illis, quæ de

*Pallav. ib.  
Ant. Maria  
Gratian. in  
vita Com-  
mend. l. 2.  
cop. 5.*

Sæcul. XVI  
A.C. 1562.

ejus moderatione præclare jactabantur, non nisi per summam levitatem fides adhiberi valeat: quocirca Amulius Cardinalis in sua ad Seripandum epistola affirmabat, quod omnia speciosa hæc verba nil nisi adulterinæ merces essent, & potius, ut de hujus Cardinalis consilio, agendique ratione sanum judicium ferri posset, non illius linguam, sed manus, & opera inspicere oportere.

§. IX.

*Patrum conventus usque ad Lotharingii adventum a Legatis interrupti.*

*Pallav. c. 17. num. 19.*

Præterea Ferrerius Franciæ Orator a Legatis petebat, ut, quamprimum Lotharingium non nisi tridui itinere a Tridentina urbe distare innotesceret, mox Patrum conventus usque ad ejus adventum interromperentur, ut ipsemet frequentiores aliorum sententias circa quæstionem de Episcoporum auctoritate agitandam percipere posset. Verum initio Præsides huic petitioni deferre cunctabantur, causati, quod ejusmodi mora inutilis foret, cum in quavis congregatione octo vel decem Patres adessent, ibique singulis diebus suas sententias promerent, proin Cardinali integrum foret, ut etiam post suum adventum